fecissent, invocata maiestate domini conversi sunt in gemmas. Tunc dicit eis sanctus apostolus: Per septem dies circuite aurifices et gemmarios et cum probaveritis verum aurum et veras gemmas nunciate michi. Euntes autem ambo per septem dies reversi sunt ad apostolum dicentes: Domine omnium aurificum officinas circuivimus et omnes dixerunt tam purum aurum et tam optimum numquam se vidisse. Sed et gemmarii eadem dixerunt: tam optimos lapides et preciosos se numquam vidisse. Tunc dixit eis sanctus iohannes: Ite et redimite vobis terras quas vendidistis quia celorum predia perdidistis. Emite vobis sericas vestes ut per tempus fulgeatis sicut rosa que odorem pariter et ruborem ostendens repente marcescit. Suspirastis enim in vestrorum aspectu et vos effectos pauperes gemuistis. Estote floridi ut marcescatis. Estote divites temporaliter ut in perpetuo mendicetis. Numquam non valet manus domini ut faciat divicias affluentes et incomparabiliter splendentes. Sed certamen statuit animorum ut credant se eternos habituros divicias qui pro eius nomine temporales opes habere noluerunt. Denique narravit nobis magister noster de quodam divite qui epulabatur cottidie et fulgebat in auro et purpura ad cuius fores iacebat mendicus lazarus qui cupiebat vel micas que de mensa eius cadebant accipere et nemo illi dabat. Contigit autem ut uno die ambo deficeret et ille mendicus duceretur in requiem que est in sinu abrahe. Ille autem dives mitteretur in flammam incendii. Unde elevans oculos vidit lazarum sedentem in sinu abrahe et exclamavit dicens: Pater abraham mitte lazarum ut intingat digitum in aqua et refrigeret os meum quia crucior in hac flamma. Cui respondens abraham dixit: Memento fili quia recepisti bona in vita tua lazarus vero similiter mala. Nunc autem iste consolatur tu vero torqueris. Et in his omnibus chaos magnum inter nos et vos firmatum est ut neque inde huc neque hinc illuc transire possit quis. At ille respondit: Sunt michi quinque fratres obsecro ut surgat aliquis qui moneat eos ne veniant in hanc flammam. Cui abraham ait: Habent moysen et prophetas audiant eos. Ad hec ille respondit: Domine nisi resurrexerit aliquis non credunt. Cui dixit abraham: Si moysi et prophetis non credunt neque si aliquis resurrexerit poterunt ei credere. Hos autem sermones suos dominus et magister noster virtutum firmabat exemplis. Nam

cum diceret ei quis inde huc venit ut crederemus ei. Ille ait: Deferte huc mortuos quos habetis. Cumque apportassent coram illo adolescentem mortuum veluti dormiens excitatus est ab eo et dabat fidem cunctis sermonibus eius. Sed ut quid ego de domino meo referam cum in presenti sint quos in eius nomine suscitavi vobis presentibus. In eius nomine et paraliticos curatos vidistis et leprosos emundatos et cecos illuminatos et homines a demoniis liberatos. Sed has virtutum opes habere non possunt qui voluerint divicias habere terrenas. Denique vos ipsi quando ad infirmos intrastis invocato nomine ihesu christi salvati sunt, fugastis demonia et cecatis lumina reddidistis. Ecce ablata est hec gratia a vobis et facti estis miseri qui eratis fortes et magni. Et cum tantus timor esset in demoniis ut iussu vestro obsessos homines derelinqueret, modo vos timebitis demonia. Amator enim pecunie servus est mamone. Mamona autem demonis nomen est qui lucris carnalibus preest et dominatur hiis qui diligunt mundum. Ipsi autem amatores mundi non possident divicias sed ipsi a diviciis possidentur. Nam cum sit unus venter et sint reposita tanta que mille ventribus satis sint, et cum sit unum corpus et sint tante vestes que mille hominum corporibus prebere valeant indumenta, utique quod uti non potest custoditur et cui custodiatur omnino nescitur, dicente sancto spiritu per prophetam: Vane conturbatur omnis homo qui thesaurizat et ignorat cui congreget ea. Nudos nos fuderunt in lucem partus mulierum egentes cibo amictu poculo, nudos nos recipiat terra quos edidit. In commune possidemus celi divicias. Splendor solis diviti et pauperi equalis est, similiter lune lumen et syderum, aeris quoque temperies et pluviarum gutte et ecclesie ianua et fons sanctificationis et remissio peccatorum et participacio altaris et esca corporis et potus sanguinis christi et crismatis unctio et gracia largitoris et visitacio domini et indulgencia peccati. Hec omnia absque persone acceptione equalis est dispensatio conditoris. Neque aliter dives aliter pauper hiis donis utitur. Sed miser et infelix homo qui vult plus aliquid habere quam sufficit. Nascuntur enim hinc calores febrium, rigores frigorum, dolores varii in cunctis corporum membris. Et neque esca cibari potest neque poculo saciari ut cognoscat aviditas non sibi pecunias profuturas.